Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.

Promotiones Philos. Ordinis

1642. 4. 313 Poezya 2781.

Sołtowski Stanisl: Epinicia ingenuis

Adolescentibus Alma Mater Academia

EPINICIA
INGENVIS ADOLESCENTIBVS
Alma Mater Academia,
Publico in loco

DVM

PRIMIS LAVREIS

Ab Excellen:

D. NICOLAO SVLIKOWSKI,
Coll: Minore Ordin: Eloqu: Profeſſ:
INSIGNIRENTVR,

Per

STANISLAVM IODŁOWSKI,
eiuſdem Laureæ Candidatum D. D. Cq;.

Anno à Partu Virginis M. DC. XLII.

DECANATV

CLARISS: D. MATTHIÆ MAZVRKOWIC,
Collegæ Maioris.

CRAC: Typis Valeriani Piątkowſki.

In Stemma Inclytum.



Anchora quid signas? nulli virtute secundum:
Constanti: nulli consiliisque parem.
Alæ præsidium signant inopum, quibus omnes
Contegit; ingentem sæpe ferendo stipem.

Perillustri & Adm: Rndo Domino,

D. CHRISTOPHORO SAPELIO, S.T.D.

Canonico Cracou. Decano Kielcensi, S.R.M. Secretario, &c.

Domino & Mecænati amplißimo.

ABstinerem profectò, nec vnquam auderem, Perillustris Domine, Te Vniuersi boni sollicitudine, grauißimorum negotiorum curis suauibus, propter gloriosi Dei cultum iucundè impeditum, hâc breui ac non comptâ lectione præpedire: erubescerem profectò, in obtutum multæ grauitatis Viri, nulla priùs notitiâ acceptâ prodidire; ni facilem aditum incredibilis humanitas, in almam nostram Academiam fauor singularis mihi præberent, & intrepidè Tuo in conspectu comparere præmonerent. Talem etenim Tibi naturam à largitore earundem tributam cernimus, vt ne aut minimo, aut vilißimo quidpiã postulanti, aurem denegare, vultum prohibere frontem corrugare scias. Cuius ego tantâ propensione allectus, Epinicia victoribus debita, Tibi prout non semel victori in consilijs dandis saluberrimus, in rationibus subtilioribus resoluendis, in causis implicitis promouendis, in periculis Patriæ imminentibus præuidendis, lubens volensq; ac meritò dicanda intellexi. Idq; non alia de causa, nisi vt hic tenuis ingenij fætus, Tuis sub alis securè quiescat, simul ego vt in numerum Tuorum adlegar, atq; eodem quo fætus ingenij, fauore tegar. Quod facilè præstabis, si mihi quoque spontè sese ad seruitia offerenti, vt cæteris solebas, soles, fauebis. Quorum plurimi ad Te vnicum, prout signum præsidij certißimum aduolant, & veluti in Asyllo tuti conquiescunt. Nec mirum: Te enim omnium

nium effector rerum, ad honestatem, grauitatem, temperantiam, magnitudinem animi traxit, & omnibus scientiarum, ac virtutum dotibus communiuit, adeò vt si aliquam virtutis speciem quærere contendas, extemplò inuenias. Silentio inuoluo copiam dicendi fermè Demosteneam, quâ Ecclesiæ hostes infensißimos prosternis gloriosißimè: Te namq; sæpe diuersis in templis, non dicere, sed tonare, non rudia verba fundere, sed Basilianâ facultate vti loquendi attentè audimus, attonitiq; miramur. Quæ omnia dum in Te considero, meas Camænas faciliorē apud Te locum inuenturas colligo, quæ licet parui æstimentur à pluribus, tamen quantam iucunditatem habeant, & ad cæterarum scientiarum nodos probè intelligendos, ad memoriam posteritati consecrandam conducant, nemo nisi expertus fidem dabit, ideò olim Poëtæ summo in honore sunt habiti teste Ouidio.

Regum cura fuit quondam, seruare Poëtas,
Præmiaq; antiqui magna tulêre chori.

Igitur nec ego hac in parte tyro, me esse tam infaustum arbitrabor, vt à Viro sapienti, quem Camænæ in suo Helicone apprimè enutriuerunt, & quem Deus ad patrocinium alijs ferendum totum effinxit, abijci, & reprobari debeam, imo fauentiorem spe conceptâ inueniam.

Viuere perge diu, perge fauere diu,

Perillustri & Adm̄ R̄ndißimæ
D. T. humillimus Cliens

Stanislaus Iodłowski;
Eiusdem Laureæ Candid.

Perillustri Adm: Rñdo, & Magnifico Dño,
RECTORI.

CElsus magnificum cupijt te dicère Apollo
Rectorem meritò maxima quippè facis.
Consiliis ornas, summa virtute, fouore,
Matrem Sarmatici conspicuam ipse chori.
Donec OPATOVIVS *felix aurata fouebit*
Sceptra, Deus cunctis aurea seclâ dabit.

Adm: Rñdo: Dño: IACOBO VSTIENSI.

INdomitam vibrent rabiem, sęuosq; furores,
Cuncti te contra Sauromatę, alma Parens.
Credito quod timidam nunquam experiêre ruinam,
Adstat pręsto potens vstiniana basis.

Adm: Rñd: Dño IACOBO VITELLIO Patrono suo fauentiss.

GRacia Parisios non quęrito Musa decores,
Non temnenda nitent lumina, parte tua.
Magnum nonne decus tibi pręsto VITELLIVS *extat?*
Parisium superans, ipse decore decus.

I V. D. BENEDCTO WIĘCKOWSKI.

CVius in laudes properas Camæna,
Tibiâ versus resonare dulci:
Cuius exposcis patulis in oris,
Viuere nomen.

 Psallo

Psallo Wieckowski meritos honores,
Psallo virtutem ingenij stupendam,
Sæpe quam vidit studiosa nostrûm,
Turba sophorum.
Illiùs multis patuêre curæ,
Qûas resumendo tolerauit atras
Tela Doctorum, sapientèr omne
Dogma resoluens.
Crescet excrescet memoranda virtus,
Ad polos ipsos similis labor si
Semper exstabit, Libitina nunquam
Trux tibi vitam
Auferet dulcem, sinuosus vsq;
Orbis, ambitu retinebit amplo,
Flamen, ac auram, fluuiosq; terram,
Mistaq; cuncta.

II V. D. Valentino Szymanski.

SI Cræsus omnes attribuat mihi
Dotes, & auri pondera Arabs potēs,
Si flumen auratas arenas
Hebrus, & ipse Tagus superbi,
Virtutis omnes vix fierēt tuæ
Testes: sed adsunt longè aliæ mihi,
Quas deuorabunt sæclâ nulla,
Nec dubij rapientq; casus.
Hæ sunt perennes quæ faciunt viros:
Ingens Poëtæ cura vetat mori.
Quicunq; mordaces labores,

Carminibus cupit esse clausos.
Viuax sit omni tempore nobilis
Virtus, & expers funeris horridi,
Mandata libris quæ est Pòétæ,
Tespiadumq; metris reuincta.
Viuet secundè dum sua robora
Tellus habebit, dum polus igneas
Tædas reuoluet, dum procellas
Nereus horribiles ciebit.
Doctâ terentur gesta manu tua,
Et ponderabit quisquè decus suo
(Post mille ducentasq; messes)
Ingenio, par & esse poscet.

III V. D. Stanislao Sadowic

QVisquis edixit sapiens habendus,
Quod nihil totus spatiosus orbis
Appetat, quam vt sit procul à sagittis,
Sortis iniquæ.
Et dies possit numerare lætos,
Impetus nullos videat frementes,
Sed velut pontus placidus, per omnes
Temporis annos
Viuat: id poscit genitrix modernâ
Luce, cum mittit tibi signa honoris;
His vt ornatus maneas Sadowic,
Tutus in orbe.
Gaudium sumas, placida frueris
Pace, nec quisquam tibi præsidebit,

Iura

Iura nec ponet, sed in æde duces
Otia honesta.
Prosequentur te meriti decores,
Fama splendebit varijs in oris,
Et polos virtus veniet sub altos,
Parta labore.
Et verebuntur sapientis ora,
Artibus nullis homines referti,
Et dabunt docto, cupidos honores,
Poplite flexo.
Sorte contentus numerato faustos
Comprecor menses, Sobolem Mariæ
Laudibus summis celebrato castæ,
Tempus in omne.

IV V. D. Matthæo Orlinski

O quantum genitrix alma, dabit modò
Signum lætitiæ, cum sobolem suam
Spectabit, cupidæ culmen adoreæ,
Celsum prendere publicè.
Quantis immodicas tollet in æthera
Curas perpetuò laudibus. His modò
En laudata tulit præmia, qui suas
Ætates studijs vouent
Omnes ingenuis, scilicet inclytas
Fasces, serta tulit laurea; pignora
Quæ virtutis erunt digna satis tuæ,
Quâ clares modò publicè.
Fulgebis meritis semper honoribus,
Inter Palladios Orlinij viros:

Dum ſternes celeri tela vibrantium
Doctorum ingenio tuo,
Puris Caſtalidum fontibus imbuta,
Extemplò capiti Roma dabit tuo,
Mitras coccineas, ſydonias togas;
Non ſit dummodò tædia
Durùm multoties maxima perpeti,
Pulſando celebres Teſpiadum lyras.
Tali ſydereas fama modo domos
Scandet, teq; trahet ſimul,

V. D. GREGORIO ZAKRZOWSKI

SCrutaris video frequenter hoſpes,
Quos fructus referant, dies ſuos qui
Vernãtes ſtudijs ſacrant honeſtis,
Inter pierias manendo ſedes,
Et duras toties ferendo curas,
Magnos non dubites ferunt ferentq;
Cuncti, qui teneris ſtudent abannis,
Expleri Aeonijs ſuas ab vndis
Mentes: nobilius quibus refulget
Nil ſub flammigeris poli theatris.
Virtutem, ſapientiamq; mores,
Hinc ſemper referunt laborioſi.
Tu triſtare etenim ſiniſtra preſſit
Te ſors, nec voluit choros Mineruæ
Inſignes habitare: tuq; gaude
Felix ZAKRZOVII ſecunda fata

Te ſemper manibus ſuis leuabunt,
Mydæ & muneribus tegent ſuperbi.

VI V. D. ADAMO ZEGADLOWIC.

FOrtunate Parens, qui ſobolem tuam
Recto conſpicias pergere tramite
Virtutis placidæ, & viribus ingenii
Magnis, culmen olimpicum
Laudis Palladiæ ſcandere. Proſperum
Te dicam genitor, ter quater amplius.
Splendorem patrijs hæc ſoboles focis,
Splendorem Cathedris nouum:
Sparget, mellifluis eloquijs fibras
Diſſoluens hominum vel rigidas, ſacra
Doctè diſcutiens dogmata; Sol velut
Illuſtrat nitidus plagas
Terræ flammiuomo lumine: ſic quoq;
Hæc proles populos conſilio ſuo
Ornatura manet, quos trahet ad Polos
Diuinis rationibus.
Felix ô vtinam, tot videas dies
Fauſtos, ac hilares, quot numerat polus
Stellas multiuagas, tumq; Academiæ
Præſtes commoda maxima.

VII V. D. GASPARO SVCHOWIC

LÆtus triumphes, proſpera ter quater
Proles Parentis SVCHOVII inclyti:
Te namq; veſtitura ſerto,
Pallas adeſt roſeo benigna.

Quo

Quod non Camænæ, quæ ſeruarent iugis
Cyrhræ virentis, Pallas at inclyta;
Contexit ipſis tenellis
Artubus, immodicisq; curis.
Pulchrè virebit perpetuâ die:
Nam laudis excelſæ amne rigabitur,
Omni momento ſubſequenti,
Et dabit Ambroſios odores.
Eius virorem non rabidus calor
Conſumet oræ, quæ ſita ſole ſub
Ardente, non ſupprimet altos
Liuor edax hominum decores.
Quare ſecundis vtere flatibus
Fortunæ, & inter quoſq; locum tene
Primum, repoſcit Muſa Craci
Talia, tum pariter Minerua.

VIII V. D. IOANNI RĘKAWOWIC

CLara, clarorum ſoboles Parentum,
Vera lux, & fax, decor, & futura
Nominis magni, genitricis almæ
Spesq; fidelis.
Pulchra Doctorum fueris corona,
Ciuium ſplendor grauium, Senatus
Sede quem primâ celebris locabit,
Quando repoſces.
Tu feres primus pia vota, preſſis
Publicis rebus, dubioſq; caſus
Antequam vexent populos videbis,

 Mente

Mente ſagaci.
Spondet hoc totum tua clara virtus,
Spondet & dextrum ingenium, laborq;,
Quem ſubis dirum ſtudijs vacando,
Nocte diuq;
Omnibus ſpretis quibus vniuerſus
Mundus, ad Seſe calido cruore
Sæpe feruentes iuuenes vocare,
Sueuit iniquus.
Ad Poli, terræ Dominum potentem,
(Vt patet cunctis) animum retorques,
Quod precor longis iteres diebus,
Noctibus atq;.
Hic tuæ ſcopus ſapientiæ adſit,
Qui fretum cælos ſapienter, ipſo
Velle confinxit, ſuperabis omnes,
Hoc duce Muſas,
Spemq; conceptam referes Parenti,
Gaudium cunctis paries propinquis,
Et tuum nomen radians vigebit,
Omne per æuum.

IX. V. D. IOANNI IANASZOWIC.

O felix nimiùm Ianaſoui inclyte,
Quem ſors in gremio pulchra fouet ſuo,
Ac ſi progeniem ſanguine de ſuo
Ortam te video cupit
Inter conſpicuos, ſede, toga viros
Quoſuis, quam celeri ſiſtere tempore,
Et clarum fieri flagrat in ædibus
Craci, cura modo eſto par.

In

In cuius tibi fert Stemmata laurea
Signum, cinctus eis, tutus ab omnibus
(Duces Nestoreos Ianasouîi dies.)
Telis, ancipitis Deæ.
Serto quisquis enim tempora laureo
Sepsit, missa polo, fulmina non timet:
Sic tu magnanimi non Domini minas,
Crudelis metues feras.
Faustos conspicies (ac vtinam precor)
Annos Ianasoui: nam tibi faustitas
Vt germana Parens se comitem dabit,
Omni tempore postero.

X V. D. STANISLAO ZYZNOWSKI.

MVsis amicus pierijs tenax,
Vltra frementis littora Nerei,
Exturbet intensos dolores,
Gaudia & accipiat serena.
Nam fama iunxit se comitem tibi,
Vnquam timentis nescia funeris,
Quæ gestit immensas per orbem
Spargere, Sarmatiamq; laudes.
Gestit micantis figere gloriæ,
Trophæa versus celsa Boristhenem;
Gestit colossos in Lycæo
Ponere Craciadum perennes.
Ne sit sepultum nominis inclyti
Insigne, magnus ne intereat labor.


 Totis

Totis diebus, quem serenum
Docta Minerua cupit nouare.
Polona proles faustior appares
Thimotheo nunc, prosperior Myda:
His namq; sublatis, sepulta
Gloria erat, tua sed vigebit.

Ad Lectorem.

Nil natura dedit perfectum, sole sub alto,
Si mala metra legis, parcito causa prior.

In Stemma Academicum.



GAude Sarmatici soboles ô fausta Lycæi,
Stemmate cum proprio, te fouet alma parens.
Non te decipiet, vincet, crudelis Enyo:
Namq; cruci debet cedere, quisquè furor.

Sub felicibus auſpicijs
Perilluſtris & Adm: Reuer: Domini
D. ADAMI OPATOVII,
S. Th: Doctoris & Profeſſoris, Can: Crac. Almæ
Vniuerſitatis Generalis
RECTORIS
vigilantiſſimi.
Summa Deo ſit laus, matri ſit honorq́; Mariæ.